

datur quædam pluralitas. Observandum & illud, quod testimonium trium in cælo testium per collationem imparium confertur cum testimonio hominum. *Si testimonium hominum recipimus, inquit, testimonium Dei (trium sc. illor. testium, quorum in v. 7. facta est mentio) majus est,* ex quo sic concludimus. Si in testimonio hominum pluralitas quædam statuitur, utique etiam in Dei testimonio pluralitas agnoscenda. Ratio connexionis pendet ex collatione testimonii Dei cum testimonio hominum, in qua respicit Apostolus ad legem divinam. Deut. 17. v. 6. c. 19. v. 15. Matth. 18. v. 16. *in ore duorum vel trium testium consistet omne verbum.* Atqui in testimonio hominum pluralitas quædam statuitur non ratione objecti, ipsius sc. rei, de qua testificantur, sed ratione personarum testificantium. Ergo etiam in testimonio Dei pluralitas quædam agnoscenda, ratione sc. personarum testificantium.

3. Excipiunt Photiniani, *verba illa, testimonium Dei majus est, etiam de his, qui in terra testantur, accipi posse, qui tamen non sunt testes Natura & essentia Divini, ergo non posse ex illis verbis pluralitatem, quorum quilibet Natura & essentia Deus sit, inferri.* Resp. 1. Quodnam testimonium Dei Apostolus intelligat, disertis verbis ipsemet exponit, quando addit: *Quoniam hoc est testimonium Dei quod testificatus est de Filio suo, quæ verba digitum intendunt ad immediatum illud Patris de Filio testimonium in Baptismo cælitus delatum. Hic est Filius meus dilectus, Matth. 3. v. 17. 2. conferimus etiam cum hoc loco Johannis verba Christi Joh. 5. v. 42. alius est, qui testimonium perhibet de me, quis vero ille sit, statim exponitur, quando non solum de Johanne dicit, quod testimonium perhibuerit veritati vers. 33. sed etiam ad Patris cælestis testimonium provocat v. 37. qui misit me Pater, ipse testimonium de me perhibuit, voce scilicet cælitus delata, ut ex antecedentibus, in quibus operum divinorum fit mentio, ex forma verbi præteriti μεμαρτυρηε & ex consequentibus, in quibus de voce Patris meminit, manifeste colligitur. 3.*

L

ad